

# **Seweryn Gałędzowski**

---

## **Dissertatio inauguralis medico-practica "De variola mitigata..."**

---

**Acta Medicorum Polonorum 3, 101-140**

---

**2013**

Artykuł został opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej **bazhum.muzhp.pl**, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

---

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICO – PRACTICA.  
DE  
VARIOLA MITIGATA  
QUAM  
ANNUENTE INCLYTO MEDICORUM ORDINE  
IN  
CAESAREA LITTERARUM UNIVERSITATE  
VILANESI  
AD  
CONSEQUENDA DOCTORIS MEDICINAE  
JURA ET HONORES  
PUBLICE DEFENDET  
*SEVERINUS GAŁĘZOWSKI:*  
UCRANIENSIS  
MEDICINAE MAGISTER  
SEMINARII MEDICI SUMPTIBUS CAESAREIS  
INSTITUTI ALUMNUS.  
ANNO MDCCCXXIV. DIE JUNII  
VILNAE.  
TYPIS MANESII ET ZYMERII, SYTIS IN PLATEA  
PALATINA SUB NO 185.

*Licet imprimatur, ea lege, ut exemplaria septem, legibus  
praescripta, apud Censorum Collegium deponantur. Vilna die 13  
Februarii 1824.*

D. -Vincentius Herberski

*A Consil.aulic. in Caesarea Univers.*

*Vilnen. Therapiae specialis et medio.*

*Clinic. Prof. Public. Extraordin.*

### § I.

Exanthema in hominibus quondam vaccinatis, a contagio variolae ortum, atque huic per prima aliquot stadia simillimum; ulterius vero, praeviae *vaccinationis* (licet utplurimum, *vitiosae*) beneficio, eatenus quasi mitigatum, ut in genere curriculo suo breviori atque mitiori, nec non febris suppuratoriae defectu, conspicuum; quarta, quinta, aut sexta jam die, abeuntibus in crustast pustulis, omni periculo expers sit; nihilo tamen minus facultate polleat, regenerandi variolam veram in iis, qui neque hoc ultimo morbo, nec vaccina defunct sunt; *variola nobis mitigate audit*.

### § II.

Angli, qui in hac variolae specie observanda, maximum prae aliis posuerunt stadium, illam nunc *The modified small-pox*, nunc *varioloid* appellant; quo altero nomine et Germanorum nonnuli utuntur, quanquam non desint, qui aut Britannorum more, *die modificirte Pocken*, vel praeeuntibus HUFELANDIO ET KAUSCHIO, propter hujus mitigationis causam, in vaccina positam, et similitudinem, saltem opinabilem, cum varicella, *varicellam vaccinicam*, vel etiam, propter commune illi cum variola originem atque naturam, *variolam vaccinicam* cum GITTERMANNO ET OELZE, illiam nominari vellent; quid quod plurimi *varicellae simplicis*, aliique, uti J. J. Van Moer, *exanthematis pseudovariolosi* (<sup>1</sup>)

---

<sup>1</sup> *Vaderländsche Letteroefeningen. Juli. 1810. De exanthemate pseudovarioloso in nonnullis vaccinatis observatio. etc.*

nomine eandem designant: nos vero denominationem *variolae mitigatae* ideo anteposuimus caeteris modo laudatis, quod apprime morbi naturae ac indoli congruit, quodque commode illi designandae vel tunc inservire posset, si constiterit etiam nuperrima Anglorum conjectura, qua illi, variolas non solum per praeviam vaccinam, sed per se ipsas queque, quin imo aliarum causarum conflictu, qualescunque illae sint, mitigari posse, praedicunt – (de quo suo loco fusius disserendum erit); quocirca haud secus vernaculo quoque sermon, *ospa złagodzona* scilicet, id genus variolae dicimus.

### § III.

Rimantibus nobis antiquitatem morbi (quamvis hanc eruisse tam magni vix intersit), primordia ejus illa jam tempora attingere videntur, quibus salutares divique vaccinationis effectus innotescere coeperunt; siquidem JENNERUM in primis adhuc tenerisque, ut ait, disquisitionibus suis <sup>(2)</sup>, postquam plura disseruerat pro indita vaccinae facultate, homines contra variolas tuendi, de aliqua *Elisabetha Sarsenet* in praedio *Newpark* degente, haec narrantem legimus: illam aeque ac alias feminas famulosve, vaccis mulgendis functos, variolis vaccinis infectam fuisse; sed nihilominus, quum posthac variolosi morbid contagio sese obtulerit, *variolas*, ast tamen indole *mitissimas*, vel quod idem, si dexteris, *mitigatas per praeviam vaccinam*, contraxisse; atque hac quidem de causa, opinante Immortali Viro, quod vaccine in illa locale tantummodo morbum effect, nullis concitatis febrilibus symptomatibus, quae indicio

---

<sup>2</sup> EDUARDI JENNERI *Disquisitio de causis effectibus variolae vaccinae. Ex angl. in latin. conver. Ab AL. CARENO. Vindobonae. 1799. P. 22.*

essent salutaris in universo corpore motus. Jam vero numerosissima minimeque dubia illius specimina, eodem fere observata tempore, quamvis tunc aliter visa, ac forte videnda fuissent, quilibet curiosus inveniet scrutator, dummodo illum haud pigeat labor, attento animo perlustrandi id genus eruptiones, quas in primis Londini WOODVILLEUS<sup>(3)</sup>, atque PEARSONIUS<sup>(4)</sup>, BALLHORNIUS et STROMEYERUS<sup>(5)</sup> Hannoverae, et demum ODIERUS<sup>(6)</sup> Genevae, ut alios multos taceam, vaccinae hominibus insitae socias viderunt. Tantum enim abest, ut ejusmodi eruptiones proxime ab ipsa materiae vaccinicae pendeant efficientia, aut critici aliquid secum ducant, quemadmodum olim habentur<sup>(7)</sup>, ut potius ex verae variolae contagio, vel ante vaccinationem, vel sub ipso inoculationis opere, vel efflorescente jamjam vaccinae pustula, suscepto, ortum trahant<sup>(8)</sup>, atque non alias fere notas offerant, quam

<sup>3</sup> *Rapport sur le Cow-pox, ou la petite verole des vaches, et sur l'inoculation, par WOODVILLE. Ouvr. trad. de l'Angl. p. AUBERT. a Paris. An. VIII.*

<sup>4</sup> *Observations concerning Eruptions. In Bibl. Britan. T. XIV. p. 254.*

<sup>5</sup> *Traite de l'inoculation de la vaccine avec l'expose et les result. Des observ. faites a Hannovre. A Leipsic. 1801.*

<sup>6</sup> *Bibl. Britan. T. X. p. 214 – T. XXXIX. p. 91-94.*

<sup>7</sup> *Annalen der Kuhpocken – Imfung. Von Ph. HUNOLD. Fürth. 1802. Heft 2. p. 121.*

<sup>8</sup> Id jam ex alio opusculo WOODVILLEI: *Observations on Cow-pox. Lond. 1800.* Manifestum est, clareque expositum legimus in *Dictionnaire des sciences med. T. LVI. p. 425-427*, et tandem vel ex eo appareat, quod Londini WOODVILLEUS observavit, illas eosque vaccinam comitatas esse, quo usque uno eodemque tempore, in Orphanatrophio, cui praeerat, alteris variolam, et vaccinam inserebat alteris; medici Hannoverani autem atque ille Genevensis easdem non alio unqnam tempore viderunt, quam quo epidemice variola in eorum patria regnabat. Confer. *Exposition des faits, recueillis jusqu' a present, concernants les effets de la Vaccination, lue a la classe des sciences Phys. et Math. p. MM. BERTHOLLET, PERCY et HALLE. Rapporteurs. Le 17 Aout. 1812 pag. 10-12.*

quae etiam nunc variolae mitigatae tribui solent. Quodsi enim argumenti loco, decursum atque formam illarum percensem sentires, ex descriptione, licet manca, in laudatis operibus proposita, appareat: exanthema hocce adventicium inter decimam tertiam in palmis manuum, diarrhoea, et vomitu bilioso, in vultu praesertim, vel brachiis, prorumpere suevisse; et ita quidem, ut nunc solumando maculae rubrae, illis urticariae non absimiles, cuti insiderent, nunc autem, quod etiam frequentius observatum erat, parvi, rubri, halone purpureo cincti, inque acumina ducti noduli, variolam veram prorsus aemulantes, supra cutim exsurerent; qui quidem post quatnor jam et viginti horas pallescunt, et deinceps duri, parumque prominentes, per aliquot dies subsisunt. Porro etiam ita sese exhibebat: ut in apice nodolorum, adhucdum rubentium, parvae vesiculae formarentur, limpidi tantillum et aquosi continentis humoris, totaque eruptio, intra pauca nychtemera, in minimas, veluti acuum capitula, desineret crustulas. Atque tandem observantibus praecipue PEARSONIO BALLHORNIO et STROMEYERO (<sup>9</sup>), hunc etiam decursum legebat; ut evolutis magis nodulis nec non vesiculis illis, vera obtineret suppuratio, ac omne, de quo agitur, exanthema, tam simile variolae exsisteret, ut cum illa facillime confundisses, ni diagnosin adjuvaverint: 1) pustularum longe minus volumen, quam in variola vera; 2) materies, praesertim apici illarum inclusa, potius lymphatica, quam purulenta; 3) longe minor

---

<sup>9</sup> In Opp. s. l. laudatis

pustularum numerus; 4) nulla depressio in apicis centro (<sup>10</sup>), quam nunquam verae variolae pustula non habet; 5) incrustatio sexta, vel septima jam incipiens die, crustaeque ipsae flavescentes, minoris voluminis ac crassitiei, diu posthac firmiterque cuti inhaerentes; quibus succedunt tandem prominentiae cutis subdurae, in bruneas delitescentes maculas, minime vero cicatrices, quae variolae sunt (<sup>11</sup>). Quae quidem modo enerrata, sane nil aliud sibi volunt, quam variolam, propter praeviam, vel simultaneam vaccinae in corpus efficientiam, quasi supressam, et ideo forma sua externa a normali diverso modo aberrantem, simulque mitigatam. Quid quod iisdem quoque auctoribus et aliis multis tunc etiam observatum fuit, eruptionem variolae semper mitem et duratione valde brevem reddi posse eo, si consulato uno eodemque tempore illius, et vaccinae virus insereretur infanti. Verumtamen, hisce omnibus praetervisis, necessitas *variolam mitigatam a naturali illa* distinguendi, quidquam recentiori tempore, plane ex alio dimanavit fonte. Quo premium enim vaccinae contra variolas totelaris virtus, rapida a Britannis fama, per reliquas sese diffunderet terras, mox admirando suo effectu, millenis periculis firmato, teterimam illam generis humani pestem, ad ultimum usque germen destruendi (<sup>12</sup>), haud inanem in omnibus erigebat spem; interea, ineunte jam decimo nono seculo, primum in Anglia individuis nonnullis, licet paucissimis eorum ratione habita,

---

<sup>10</sup> Dummodo observatio certa sit.

<sup>11</sup> Fere verbo verbum HUNOLDI (Op. c. Heft. 2. Pag 117-121.) curavimus redder.

<sup>12</sup> Nun jam medici *Havnienses* gloriantur, variolam *Havniae* eradicatum esse, cum ab Anno 1811-18 nec unum illius exemplum adnotatum sit. Vid. Epist. de CARRO in RUFELAND's *Journ. Der prakt. Heilk.* 1820. VI. St. pag. 29.

qui tunc vaccinati fuere, post certum a vaccinatione tempus, oblate contagii variolosi opportunitate, exanthema illud reapse contigisse visum est: exsultasse tunc gaudio adversaries obtrectatoresque vaccinae comperimus, et, ac si praeter noxas varias inique vaccination objectas (<sup>13</sup>), hoc unicum deficeret illis argumentum, quo ejus vanitatem demonstrarent, in exquirendis hujusmodi casibus omne posuisse stadium; illos proinde collectos, tum singularibus quibusdam Iucubratiunculis contextis, tum etiam in ephemeridibus variis, ut jamjam maturescentem erga vaccinam fiduciam publicam protinus infringerent, divulgandos curarunt. Attamen, vel hac via, tantum abfuit, ut de illius laudibus quidquam detrectare possent, ut magis etiam auctores fuerint illorum omnium, quibus eximum pretium hujusce coelitus demissi inventi clarius nuper illuxit. Namque eo ipso factum est, ut indagatis varia ex parte ejusmodi variolae innumeris exemplis, a multis peritis in arte Viris jure decretum fuerit: *insitam nostro corpori variolam vaccinam, si recte curriculum suum absolvat, nunquam non praepedire periculum variolae humanae; quod si vero, quamcunque ob causam, in decursu atque action sua fuerit turbata, non amplius quidem illam praecavere, sed tamen successuram olim adeo cōer-cendi modificandique idoneam esse, ut ab omni prorsus periculo vacet.* Exploratum enim erat, in omnibus fere istis causis praeviam vaccinam, uno alterove in stadio, haud debito modo evolutam fuisse, et nihilominus tamen variolas, mitissimas tantum, ut curriculo suo vix non ad dimidium breviori, nullaque febre suppura-toria insignitas vaccinationis beneficio

---

<sup>13</sup> Qui varia ignominia, ut ita kicam, vaccinae objecta, illorumque venitatem pernoscere cupit, prater MOSELEYI, ROWLEYR, BIRSHII et VAUMEI opera, adeat supra laudatum *Exposition des faits etc.* (Vid. not. 8), ubi haec omnia per lougas series composite atque explanta inveniet.

prodiisse ITAQUE DUNNINGIUS, praestantissimus vaccine vindex, tali pacto *mitigatas*, primum a se dictas, *variole species*, ut jam sexta die in exsiccationem abeant, absque ullis indiciis febris secundarie, a naturali illa distinguendas putavit; aliis vero multis, quorum primo loco GOLDSONIUM (¹⁴) et WILLANIUM (¹⁵), dein vero THOMASIUM HUGO (¹⁶), THOMSIUM KEY (¹⁷), ADAMSIUM (¹⁸), ET HENRICUM FIELD (¹⁹) nominemus oportet, non minor est laus in describendis hue illue speciminibus ejusdem morbi. Irrito tamen tot virorum studio, doctrina variolae mitigatae, praesertim quoad formam, qua ut plurimum conspicua sit, plura adhuc obscura, neque satis intellect habuit; et ultimis praecipue annis, ex quo nempe varias provincias *Angliae, Irlandie et Scotiae*, praeter omnem exspectationem invaserunt variolae verae, ac epidemic grassatae sunt, harum omnium rerum certiores notions debemus. Itaque serius etiam de hac re observata DEWARIO (²⁰), JAMESIO MOORE (²¹), ALEXANDRO MONRO (²²), G. BLANE (²³), THOMSONIO (²⁴),

<sup>¹⁴</sup> *Cases of small-pox, subsequent to vaccination.* Portsea. 1804.

<sup>¹⁵</sup> *On vaccine inoculation.* Lond. 1806. Conf. Versio Germanica, auctore G. Fr. MUERRHY. Göttingen. 1808.

<sup>¹⁶</sup> *Med. and Phys. Journal.* 1807. April.

<sup>¹⁷</sup> Ibidem; mense Julio – et 1814, Decembre; quo ultimo loco, 25 ejus adnotantur exempla.

<sup>¹⁸</sup> *Thesis, quaedam de variola et vaccina amplectens.* Edinb. 1814.

<sup>¹⁹</sup> *The London. med. Repository.* 1815. Vol. IV. Jul.

<sup>²⁰</sup> *Account of an epidemic small-pox, which occurred in Cupar in Fife in the spring of 1817.* Cupar. 1817.

<sup>²¹</sup> *The history and practice of vaccination.* Lond. 1817. – *The Edinb. med. and surg. Journ.* N. 55-56. 1818.

<sup>²²</sup> *Account of the small-pox, as it appeared after vaccination.* Edinb. 1818.

<sup>²³</sup> *Med. Chir. Transact.* V. 10. P. 2. – *Medic. Repository.* V. 13.

<sup>²⁴</sup> *An account of the varioloid epidemic, which has lately prevailed in Edinburgh and other parts of Scotland, with observations on the identity of chicken-pox, with modified small-pox.* Lond. 1820

CROSSIO (<sup>25</sup>), docte atque eleganter de vera modificataque variola agente, I. REEDIO (<sup>26</sup>), I. INNESIO (<sup>27</sup>), HORATIO GATES JAMESONIO (<sup>28</sup>), THOMASIO MITCHELIO (<sup>29</sup>), JAMESIO DAVISO (<sup>30</sup>), et demum D.G. GREGORYO (<sup>31</sup>), ne dicam de aliis multis, quorum singulas observations THOMSONIUS praecipue in opera suo collegit, studiose pervolvi merentur. Praeterea, cum id genus observations de variola et extra Britanniae limites fuerint vulgatae, e Germanorum gremio, primus, ni fallor, WENDELSTAEDITUS (<sup>32</sup>), et biennio tardius MUERRHYUS (<sup>33</sup>), semet cum egregio STIEGLIZIO, Hannoverae, variolam naturali mitiorem post vaccinam vidisse, scripsit; contrarium quidem sentiente, et non nisi varicellam ibi arguente HEIMIO (<sup>34</sup>); cuius tamen argumenta diluere suamque opinionem firmare STIEGLITZIUS (<sup>35</sup>), et

<sup>25</sup> *A history of the variolous epidemic, which occurred in Norwich, in Year 1819, and destroyed 530 individuals; with an estimate of the protection afforded by vaccination, and a review of past und present opinions upon chicken-pox and modified small-pox.* London. 1820.

<sup>26</sup> *The Edinburgh med. and surgical Journal.* 1822. N. 71.

<sup>27</sup> Ibidem, N. 72.

<sup>28</sup> *The American Med. Recorder of original papers and intelligence in Medicine and Surgery; conducted by J. EBERLE and H. W. DUCACHET.* Vol. V. 1822. N. II. April. pag. 224-256.

<sup>29</sup> Ibidem, pag. 257-268.

<sup>30</sup> Ibidem, pag. 268-273.

<sup>31</sup> *Med. and Chir. Transact.* V. XII. Pars II. – Confer. *Archives generales de medecine.* T. IV. 1824. Fevr. pag. 289.

<sup>32</sup> *Sammel. medic. und chir. Aufsätze.* 1808. B. III. K. 5.

<sup>33</sup> HUFELAND's und HIMLY's *Journ. d. prakt. Heilk.* 1809. März.

<sup>34</sup> HORN's *Archiv.* 1809. Bd. II. p. 183.

<sup>35</sup> Ibidem, Bd. III. p. 187.

deinceps ipse MUERRHY (<sup>36</sup>) minime neglexerunt; similia exempla, velunti modo propositus suffragaturis, brevi post in vulgus edidit KORTUMIUS (<sup>37</sup>). Quo facto, compositaque omni lite, prae caeteris hujusce gentis medicis, egregia curriculi variolae mitigatae descriptione eminuit ELSAESER (<sup>38</sup>); in explananda vero origine atque natura illius KAUSCHIUS (<sup>39</sup>), qui, tum D. FRANKII (<sup>40</sup>) observationibus, regnante epidemia variolosa *Francofurthi* lectis, tum propriis, *Liegnitzii* notatis, usus est, GITTERMANNUS (<sup>41</sup>), OELZE (<sup>42</sup>), VELSENIUS (<sup>43</sup>) et RAIMANNUS (<sup>44</sup>), praestantiores habentur. Postremo, quum non ita pridem variolosa pestis quasdam *Belgiae* provincias vastare cooperit, vaccine itidem beneficio, variolam mitigatam jucunde observarunt, publicique juris facerunt Gysbertius Hodenpyl (<sup>45</sup>),

<sup>36</sup> HUFELAND's und HIMLY's *Journal d. prakt. Heilk.* 1810. Februar. p. 128

<sup>37</sup> Ibidem. Juli. p. 46

<sup>38</sup> *Beschreibung der Menschen-Pocken-Seuche, welche in den Jahren 1814. 15. 16. und 17. im Königreiche Würtemberg geherrscht hat.* Studtgard. 1820

<sup>39</sup> *Memorabilien der Heilkunde.* Züllichau. 1819. Bd. III. – HUFELAND's *Journ. der prakt. Heilk.* 1819. Junius. p. 49. – Ibidem, 1820. Junius. p. 4.

<sup>40</sup> In KAUSCH's *Memorabilien der Heilk.* 1819. Bd. III.

<sup>41</sup> In HUFELAND's *Journ. der prakt. Heilk.* 1821. April p. 54. – Ibidem, Mai. p. 51.

<sup>42</sup> Ibidem, 1822. Januar. pag. 71.

<sup>43</sup> *Archiv für med. Erfahrung im Gebiete der prakt. Medicin, Geburtshülfe und Staatsärzneikunde von HORN, NASSE, HENKE und WAGNER.* 1822. 6 Hefte Juli, Aug.

<sup>44</sup> *Handbuch der spec. med. Pathologie und Therapie.* Wien. 1823. Bd. 2. p. 113

<sup>45</sup> *Waarnemingen omtrent de thans haerschende epidemie der Kinderziekte.* Rotterdam. 1818. – *Vervolg op de Waarnemingen der thans nog heerschende epidemie der Kinderziekte.* Rotterdam. 1818. – HUFELAND's *Journ. der prakt. Heilk.* 1818. Novemb. p. 26.

A VAN STIPRIAN LUISCIUS (<sup>46</sup>), E. I. THOMASSEN A THEUSSINK (<sup>47</sup>) et HOPPE (<sup>48</sup>). *Galliae* solum medici discrepant hucusque de variola mitigata, tanquam sui juris morbo, dubii, et licet jam nonnulli, postquam illam videndi habeurint copiam, nomen etiam propositum receperint, mox tamen exstitere perplurimi adversarii (<sup>49</sup>); quod quidem non obstabat, quo minus plura et curate depicta hujus morbi specimina, *varicellae gravis* nomine a BERARDIO et LAVITO (<sup>50</sup>), regnantibus epidemice variolis *Montispessulani*; paulo serius a D. POUGENSIO (<sup>51</sup>), grassantibus iisdem in oppido *Millau*; et a RATIERO (\*) tandem, *Parisiis*, publici juris facta sint. Quod reliquum vero est, nostris in regionibus, praecipue vero *Vilnae*, de variola mitigata huc et illuc sporadice occurrente, et multa comperimus relata (<sup>52</sup>), et non ita pridem a summe venerando nobis, olim Professore nostro JOSEPHO FRANKIO, quae hic spectant, typis quoque (<sup>53</sup>) accepimus mandata.

<sup>46</sup> *De waarde der Koepok Inenting, gehandhaafd en op nieuw anbevolen aan ouders en Kunstgonooten.* Delft. 1818.

<sup>47</sup> *Over het beveiligend vermogen der Koepokken tegen de Kinderziekte.* Groningen. 1818.

<sup>48</sup> *De vi vaccinarum antivariolosa.* Havniae. 1819

<sup>49</sup> *Exposé fidèle de pétites vêroles, survenues après la vaccination; par Gastelier.* 1819.

<sup>50</sup> *Essai sur les anomalies de la variole et de la varicelle avec l'histoire analytique de l'épidémie éruptive, qui a régné à Montpellier en 1816, par M. T. BERARD et M. DE LAVIT.* Mountpellier. 1818

<sup>51</sup> *Pétite vêrole chez plus de deux cents individus vaccinés, observée à Millau en 1817;* par POUGENS.

\*Vid. *Archives générales de médecine.* 1823. Dec. pag. 520. *Eruptio varioliformis illi audit.*

<sup>52</sup> In Consessibus societatis medicae Vilnensis.

<sup>53</sup> Dziennik Med. Chir. i Farm. 1822. T. 1. N. IV. pag. 559

## § IV.

Variam quidem faciem hocce exanthema offerre pro epidemiis diversis diversaque corpora aegrorum, ex attenta scriptorum lectione, persuasum habemus; quum tamen inter plures exstet varietas aliqua, quae ubicunque longe crebrius visa, inque descriptionibus omnium quasi prototypum sistat, ac nobismet ipsis praeceteris observata sit, ab ea igitur describenda ordiamur, oportet. – Est autem forma illius ejusmodi, ut nisi suppurationis respiceres stadium, in invasionis ac eruptionis ratione, tantam cum variola legitima similitudinem invenires, ut aegerrime tantum alteram ab altera distinguere posses. Etenim, omnino variolae more, primum aegros adoritur morisitate, lassitudine, inquietudine et deinde horripilationibus, vel frigore ab aestu universalis excepto; quibus mox anorexia, ardoris sensus, tensio ac dolor in epigastrio, nausea, vomititio ipseque vomitus, cum capitis, dorsi, lumborum, artuumque interdum, quasi rheumaticis, doloribus succedunt. Invalescente ad noctem calore, inquietundo atque anxietas augentur, et nonnunquam apud infantes, observantibus FRANKIO (<sup>54</sup>), CROSSIO (<sup>55</sup>), aliisque multis (<sup>56</sup>), sopor, deliria ac convulsiones obtingunt. Lingua, aegro continuo sitienti acidamque poscenti, albo obteditur muco; fauces non modo siccescunt, sed secundum Anglorum et nostras observationes, phlogosi haud raro tentantur, praecipue in adultis, qui continuo in sudores inclinant (<sup>57</sup>).

<sup>54</sup> Medico exercente praxin Francofurthi. Confer. nota 58.

<sup>55</sup> Op. c. pag. 182

<sup>56</sup> Quorum observationes collectae sunt in *The Edinb. med. and surg. Journal.* N. 55-56. 1818.

<sup>57</sup> Ad haecce studamina attentos nos reddidit coniunctissimus nobis commilito D. PRZEBOROWSKI, qui, dum haec scribo, simile exemplum praeceteris oculis habuit in nostra civitate, suumque aegrum continuo sudasse adnotavit.

Alvus, quam plurimis stricta, aliis serosa, frequenter, nec sine torminibus, redditur; urinae secretio supressa, vel aucta, atque pulsus interea justo frequentiores, nunc molles, nunc in plethoricis, pleniores ac duri. Matutino tempore quaedam symptomatum remissio observari solet, quam nova ad vesperas exacerbatio, recrudescente interdum horrore, intercurrens, sequitur. Atque ita febris, cunctis modo enarratis, vel etiam mitioribus, ut fere observationem fugiant, symptomatibus stipata, per triduum decurrit, donec ineuente quarto nyctemero, primum in facie, ad collum et pectus, vel nonnunquam, livet raro, tardius ad ista, atque ocyus ad brachia et alias partes (<sup>58</sup>), parvae, rubicundae, circulares, paulisper prominentes, noduloque profundis rubro, ad attactum subduro, in medio instructae, paucae, vel modico saltem numero, maculae prorumpant; que facto, altera utplurimum ab eruptione die, qua nempe papulae quo effloruerunt ordine, sensim sine sensu increscunt, atque in conicas, basi parum elevatae insidentes, vesiculas desinunt (novis ad interim maculis hic et illic ad tertiam diem producentibus), febrilis motus decrescit, vel penitus sopitur, et tumor, quandoque in facie ac palpebris propter eruptionem copiosam oriundus, intra 24 vel 30 horas subito disparate omnis; itaque infantes hoc tempore ad consuetos sibi lusus denuo revertere nil cunctantur (<sup>59</sup>). Jam vero tertio nyctemero papularum vesiculae, quemadmodum in variola vera, foveam visui offerunt, firmae sunt atque renitentes tactui, allis, subinde minus evolutis, mixtae, iisdemque notis, maxime, si foveam respicias, quarta, vel etiam, auctore MONRO (<sup>60</sup>); quinta ab eruptione die cernuntur;

---

<sup>58</sup> Conf. CROSSI et THOMSONII opp. e.

<sup>59</sup> CNOSSIUS I. e. pag. 183.

<sup>60</sup> Op. c.

praeter normam puta, si una alterave earum, figuram subglobosam jamjam adepta, minutam margaritam praemature fingat. Quodsi primo obtutu impressiones istae in postulis quibusdam deficere viderentur, cave, ne error in diagnosin irrepatur tibi, a lucis radiis male adcomodatis, aut incongruo aegri situ decepto. Hoc etiam tempore accuratius examen, majorum saltem pustularum, docet: illas simplici haudquaquam vesicula, sed innumeris minimisque cellulis esse contextas, fluidumque diaphanum in apice, et lympham spissiorem continere ad basin; caeterum, colore in facie paulisper flavencente, in aliis vero partibus lacteo esse aut subbrunco, pro liquidi contenti ratione; et si quocunque in loco, e sua sede integra auferatur pustula, cutim ibidem prominentem atque inflamatam conspici. Sed vix talem fabricam atque evolutionis gradum adeptae pustulae, plane opposita ratione legitimate variolae legibus, tertia jam, quarta, aut quinta die, ad exsiccationem properant, illamque circa sextam fere ab eruptione diem absolvunt. Crustae, inde formatae, plus minusve solidae, vel, quod aliis visum est (<sup>61</sup>), in corneam fere duritiem concretae, circulares et sua diametro partem pollicis octavam vixdum excedentes, tres quatuorve dies cuti insidere, et postquam delapsae fuerint, tubercula parum inflammata, obtuso – conica, tactique renitentia, in vultu inprimis et brachiis, relinquere solent. Ataque haec quoque brevi evanescunt, inque foveolas minutas, valdeque tenues, et intra binas hebdomades protinus delitescentes, desinunt (<sup>62</sup>). – Ecce veram variolae mitigatae imaginem, quoad ubivis crebrius reccurrit! –

---

<sup>61</sup> Vid. *Allgemeine Literatur-Zeitung*. 1818. Februar.

<sup>62</sup> Confer. HOPPE et RAIMANNUS in operibus. c.

Atqui restat nunc, ut, quae variolae nostrae, tam formae, quam decursus discrepantiae, variis auctoribus, diversisque in epidemiis observatae ac descriptae fuere, enarremus, et uno quasi in conspectu ponamus. Huc vero spectat in primis Willani, Adamsii, Dawarii, Moorei, Hoppei, Joseph Frankii et Raimanni descripto (63), quae ita etiam habet: observari passim pustulas, jamjam impressionibus notatas (dummodo parum numerosae et a se discretae sint) quarta, aut quinta illa die, definita a nobis altiori loco, minime exarescere; hasce ulterius quidpiam progredi in evolutionis opere, et proinde fluidum sibi contentum e limpido in turbidum, veluti purulentum, convertere laticem; sed protinus ac humor ille magis redundasset, primum foveam in medio amittere, dein aucto volumine hemisphaericam inducere speciem, ac septimo tandem, vel octavo post eruptionem nychtemero, sive sponte ruptas, seu absque humoris sui dispendio, mera tantum exsiccatione, in crustas converti. Si vero ab illa pustularum ultra limites consuetos evolutione, atque serotino hoc exsiccationis modo recesseris, in reliquis omnino, quoad crustarum formas, et, qui illas sequuntur, nodulos impressionesque, vix quidquam a proposita nobis norma deflectere eas, persuasum habebis. Quanquam enim prima fronte leve suppurationis momentum hicce ingruere videatur, neminem tamen, vel in hac eruptionis varietate, cutim ambientem pustulas tendi atque inflammari, febrem suppuratoriam accendi (64),

---

<sup>63</sup> In Operibus. s. l. laudatis.

<sup>64</sup> Quamvis haec regula adeo generalis sit, ut vix exceptionem pati videatur, acutissimus tamen in rebus observandis Professor I. Frank ait: "Gorączka suppuracyjna rzadko się zdarza – rzadko mówić, bo widziałem ieden przykład ospy złagodzony, w której dnia osmego nastąpiła lekka gorączka, podczas której ospa posychała, a uryna zawierała obfity osad ropiasty." Vid. Dziennik Wileński 1. c. pag. 566.

autptyalismo aegrotulos tentari, adnotasse accepimus.

Quodsi vero parum numerosae pustulae ultra, quam par est, aliquando adolescere visae sint: res aliter vulgo evenit, si exanthema nimis copiosum prodeat universum per corpus. Raro namque tunc pustulae pertingunt ad volumen supra a nobis definitum, et si fortasse pervenerint, impressionibusque essent distinctae, vel confluunt secum (⁶⁵), vel saltem alterae cohaerent alteris (⁶⁶). Quibus ita evenientibus, sistema cutaneum graviter sane adfectum, nervosum queque illud et viscera, sympathica procul dubio ratione, tam male interdum et acriter lacessit, ut exinde symptomatum typhoideorum excitari catervam, ipsasque peticulas in conspectum venire, CROSSIO (⁶⁷) praesertim adnotatum sit. Nihilominus tantum abest, ut tunc aut vitae periculum aeger incurrat, aut nimis in longum protrahatur morbus; et potius mira quadam et firma naturae lege, semper quarta, aut quinta die pustulae in exsiccationem abeant (⁶⁸), utque brevi tempore, nulla accidente febre suppuratoria, fausto eventu omne terminetur malum. Illud solum, quod habitus exanthematici varietatem respicit, ut commemoretur, reliquum est: namque periodus exiccationis inprimis, quoad pustularum conditionem, summum hisce in caussis offert discriminem. Quodsi enim aliae perfecte jam incrustatae cernuntur,

<sup>⁶⁵</sup> Quales praeter Moore (Vid. op. c. p. 107) in nostra civitate DR. WRÓBLEWSKI et III. Professor MIANOWSKI observarunt.

<sup>⁶⁶</sup> CROSSIUS ET HODENPYL in Operibus s. l. c. contendunt, se nunquam variolas mitigatas confluentes vidisse, et si aliquando eruptionis ratione decepti, crediderint initio, illas ejusmodi fore, mere cohaerentes cognoverunt paullo tardius.

<sup>⁶⁷</sup> Op. c. pag. 187.

<sup>⁶⁸</sup> Momente ibidem CROSSIO. Quanquam MOORE (op. c. p. 107) in ejusmodi casibus interdum usque diem protractum, nullo tamen exinde periculo emergente.

aliae, ac si ultra increscere fuerit vetitum, papularum adhuc forma subsident, et paucissimae adeo, liquido jam repletae, ad octavam, vel decimam diem perdurant. Cicatrices paucae in fronte tantum, genis, brachiisque superstites, cuti concolores, atque octavam pollicis partem diametro sua haud excedentes, neque notis supra descriptis, nec, quibus excipiuntur, foveolis, a vulgatissima norma recedunt.

Diversum tamen ut plurimum, ab illo, vix exposito, *variolam mitigatam* legere decursum, si eruptione abundante floreat, praeter viros plures hiv laudatos, nuperrime DR. OELZE movit. Namque haud raro numerosae, sed parvae, subsphaericæ atque in apice haud depressæ vesiculae, cuti inflammatae atque incrassatae, quæ basin sistit, insident<sup>(69)</sup>; quæ, si confertæ nimis sint, nisi ad firmitatem illarum atque duritiem sub attactu, nec non ad crustas bruneas, corneasque, tertia, aut quarta ab eruptione die oriundas, respicias, facillime exanthematis militaris<sup>(70)</sup> specie imponere tibi possint.

Praeterea, quod parvis praeter modum vesiculis consuetum est, non modo foveolis tunc carent, sed imo, oppositam plane, conicam scilicet, vel acuminatam exhibent figuram, et postquam liquidum, fastigio illarum contentum, sine ullo voluminis augmento, in turbidum, semipurulentum laticem transmutatum fuerit, triduo aut quatri - duo ab eruptione, crustulis solidiusculis, braneis cooperiuntur. Quæ quidem morbi forma, grassantibus variolis in *Neu Ruppin*, valde

<sup>69</sup> Licet verisimillimum sit, monente CROSSIO, cellulas vel in hisce adesse, ob illarum tamen exiguum volumen hujus rei indagatio per quam difficilis est.

<sup>70</sup> DR. OELZE meminit cuiusdam feminae, quæ universum per abdomen in primis, et anteriorem partem femorum, simili eruptione obtecta erat. Vid. 1. c. *Beobachtungen über natürliche und Schutzblätter, modifizirte und Windblätter und deren Verhalten gegen einander von DR. OELZE, zu Neu Ruppin.*

communis et fare constans a DRE OELZE cernebatur. Levissimam postremo speciem, qua exanthema istud prorumpere etiam visum fuit, constituunt rubrae, ad tactum durae, arcteqne secum aliquando cohaerentes maculae, vel, si mavis, papulae. Hasce nec in minimas quidem vesiculas transire, nec ullo febrilli motu stipari, sed una cum angina faucium, quae iis socia est, inter bina, vel terna nyctemera disparere, DEWARII<sup>(71)</sup>, THOMSONII<sup>(72)</sup>, ET CROSSII<sup>(73)</sup> observata docent. Et hic sane referantur oportet. Illae qualescunque morbi, de quo agimus, adumbrationes, quae nunc erysipelas, nunc morbillos habitu suo mentiri Thomsonio visae sunt<sup>(74)</sup>, et de quibus quondam *Batavum* in litteris ad se missis, sic agere tradit: “erumpit exanthema, quod morbillos vel scarlatinam mentitur”.

Quid, quod tempore epidemiae variolosae in viciniis urbis *Lanark* aliisque in locis grassantis, nonnullos vaccinatos, earundem causarum ratione, qua alii variolam mitigatam passi sunt, intensa solum febre, absque ulla eruptione cutanea, correptos fuisse, celeber *Edinburgensis* medicus<sup>(75)</sup> testatur. Cui rei analogas etiam accepimus observationes a D. PICAUT<sup>(76)</sup> quondam concryptas, qui in doubus infantibus, sub simili epidemia, quatuordecim diebus post vaccinationem, sinne ulla evidenti causa, praeter illam in contagio variolae quaerendam, sat intensam fabrem, social nausea

<sup>71</sup> Op. c. pag. 20

<sup>72</sup> Op. c. pag. 34

<sup>73</sup> Op. c. pag. 189

<sup>74</sup> Loco modo memorato.

<sup>75</sup> Vid. observationes Thomsonii in *The Edinb. med. and surg. Journ.* 1818. N. 55-56 – et in Op. pluries laudato.

<sup>76</sup> *Rapport sur les vaccinationes pratiquées en France pendant l'année 1810.*  
pag. 81

ac vomitu, accensam alque post triduum, quin ullum exanthema prodierit, sponte sua discendentem notavit. Quae quidem specimina, quanquam fortasse necdum sufficere videantur, ut ejusmodi etiam *variolae mitigatae speciem* in censem nostrum recipiamus, quae sub larva merae pyrexiae aliquando latitat, tamen vel ideo attentione nostra digna sunt, quod etiam de febre, quae vulgo variolas legitimas praecedit, inter eximios praticos, sic STOLLIUS habet: “Haec, utut minima persaepe nullisque, aut vix ullis judicata pustulis, tamen vindicat a morbo (77).-Nec aliter J. P. FRANK: In paucis, ait, hae turbae a suscepto contagion excitate, sub largiori ac olente sudore, sine quavis, pustularum eruptione, felicissime sopiauntur, ac *variolosa febris sine variolis*, hoc primo contenta stadio, in totum ac in plenam securitatem aegrotantis, dispergitur omnis (78).”

## § V.

Sed qualiscunque illa fuerit, semper *variolae mitigatae causa*, quod jam partim ex iis, quae in morbi historia enarravimus, constat, ad duo potiora atque sibi opposite momenta referenda est; quorum quidem alterum in *vaccinationis opera non plane absoluto*, alterum sane in *legitimate variolae contagion* erit quaerendum: siquidem vero hoc ultimum proxime et immediate morbum excitat, vaccinae itaque efficitur actione, quominus ille penitus evolvatur, et ad debitum vigorem pertingat. Quum autem praevia vaccinae in corpus humanum action, varia procul dubio esse possit, prout illius decursus magis minusve fuerit turbatus, *variolan* ideo illi succendentem nobisque

---

<sup>77</sup> *Aphor.* 523.

<sup>78</sup> *De curandis hominum morbis Epitome.* Mannhemii. 1792. Lib. III. pag. 161.

*mitigatam dictam*, in vario evolutionis suae gradu cohibitam cernimus, nec iisdem semper notis distinctam. Nunc enim, ut alio loco exposita paucis comprehendam, post febriles aliquot dierum motus, tanquam in ipsa, germinatione destruitur malum, neque jam propullulat in cutem (*febris variolosa*). Nunc, postquam prodierit, macularum, aut papularum forma, protinus disparerit, impar quasi ulteriorius progredi. Alias etiam in conicas vesiculas exsurgit, illasque subsphaericas, aut, si quando diutius, ut ita dicam, vegetaret, impressionibus etiam offert notates; quo facto, nil cunctata delitescit. Alias demum suppurationis opus aliquando concipit, quod tamen, ac si illinc insuperabile obstaculum in perpetuum a vaccine esset positum, nunquam exigere est visum. Quae quum ita sint, colligitur sua sponte, *variolam mitigatam nil aliud esse, nisi illam legitimam in efflorescentiae suae, vel maturitatis vario gradu interpellatam, praeviae vaccinationis imperio*. Quodsi etiam hac in re ipsum consulimus JENNERUM, illum jam anno 1806, in litteris suis ad WILLANIUM (79) missis, haud diversae sententiae auctorem invenimus, dum contendit: vaccinam in decursu, aut actione sua coërcitam, cum minime nos quidem contra variolas tueatur, ea ratione tamen, qua illius decursus proprius accedat normali, *futuras variolas lenire*. Neque hoidiedum praestantissimi in arte nostra aliter sentiunt auctores, quum ad unum fere omnes convenient in eo, variolae mitigatae causam, praeterquam variolosi contagii

---

<sup>79</sup> Litterac hae exceptae sunt opere WILLANII s. l. c.

actionem, plurimum esse positam *in vitiate vaccinationis opere*. Jam vero nupperime inter Anglos illa etiam opinio invaluit, *ac si plane haud diversa a vaccina ratione, sibimet ipsi quasi imperare variola possit*. Grassantibus enim variolis *Edinburgi*, quosdam ex illis, qui antehac defencti errant hoc morbo, THOMSONIUS mirabatur pro altera vice iniqua hac peste correptos; quos multo tamen levius habuit, quemadmodum et vaccinatis parcer; unde Cl. VIRO arguere placuit: *variolam, si ob quascunque causas alteram infectionem praepedire impar sit, iterandum olim exanthema, mitigare saltem posse, mutuato a vaccina more*. Quum autem, observante eodem auctore, variola, tam in iis, qui eandem quondam superarunt, quam in vaccinatis, illo mitiori suo habitu minime discreparet, tum a semet ipsa, tum a varicella, qualem vel nunc WILLANIUS<sup>(80)</sup> ac BATEMANIUS<sup>(81)</sup> describunt; alteram adeoque, illamque magis forte veritati contrariam legem decrevit: *variolam praevia vaccina mitigatam atque varicellam, haud unquam distinctum a se invicem efficere morbum; et, quae ante vaccinationis inventum traditur, varicellam, genuinae variolae loco, sed secundariae et ideo mitigatae, esse habendam*. Sed si inprimis percenseamus ea, quae de secundaria variola HENSLER<sup>(82)</sup>, MEYER<sup>(83)</sup>, FRID. WILH. KLAERICH<sup>(84)</sup>, HAFFNER<sup>(85)</sup>, SERVAS

<sup>80</sup> Op. c.

<sup>81</sup> *Praktische Darstellung der Hautkrankheiten v. Th. BATEMAN. n. d. Engl. übersetzt. v. ABR. HANEMANN. Halle. 1815. p. 311-316.*

<sup>82</sup> *Diss. de morbo varioloso. p. 77.; ubi auctor semet ipsum bis variolas superasse narrat.*

<sup>83</sup> *Hannoversches Magazin. 1766. St. 102. p. 1672.*

<sup>84</sup> *Ibidem; 1776. St. 93. p. 1473; hic altera infectio adnotatur lethalis.*

<sup>85</sup> *BALDINGER's Neues Magazin. X. 516.*

v. COPELLO<sup>(86)</sup>, DRYFHOUT<sup>(87)</sup>, WALTH. v. DOEVEREN<sup>(88)</sup>, RING<sup>(89)</sup>, BATEMAN<sup>(90)</sup>, HENNEN<sup>(91)</sup>, aliique<sup>(92)</sup> collegerunt multi, persuasum nobis erit: exanthema istud nequaquam tam miti semper, ac fors videretur, indole fuisse, sed imo gravissimum non nunquam et lethale<sup>(93)</sup>. Nec aliter habet CROSSIUS<sup>(94)</sup>. – Imo, si quis Thomsonii ipsius observationes singillatim indagaret, in maxima illarum parte ne minimum quidem mutatae morbi indolis conspiceret indicium<sup>(95)</sup>; aut, si nonnullis forte haec *secundaria variola* obtigerit mitis atque varicellae similis, id ipsum ingenio regnantis tunc epidemiae haud temere adscribi posse videtur; non alia enim ratione haud paucos, etiam pro prima vice, levissima tantum variola defunctos fuisse, eadem illa auctoris observata testantur. Nec ideo altera quoque Cl. VIRI sententia, ac si nil differat *varicella* a *variolae* specie, quae nobis *mitigata* audit, firmis unquam argumentis propugnari poterit,

---

<sup>86</sup> *Harlemr. Verhandl.* VIII. 2. p. 209.

<sup>87</sup> Ibidem; p. 260.

<sup>88</sup> Ibidem; XII. p. 192.

<sup>89</sup> *Med. and Phys. Journ.* Vol. XIV. p. 402. – Vol. XV. p. 434.

<sup>90</sup> In *Medico-Chir. Transact. of the Med. Chir. Society of London.* V. II. 1813. p. 31. Versio Germanica in HUFELAND's und HARLES's *Journ. der prakt. Heilk.* 1815. III. St. pag. 82.

<sup>91</sup> *Edinb. med. and. surg. Journ.* V. XIV. p. 460.

<sup>92</sup> *Med. and. Phys. Journ.* V. XII. p. 518.

<sup>93</sup> En Batemanii verba: „Kurz, es lässt sich nicht laügnen, dass Subjekte zwei mal befallen werden können, und dass die zweite Eruption nicht immer gering, oder gutartig ist, sondern oft höchst gefährlich, ia todlich wird.” – Vid. Hufeland's und Harles's *Journ.* I. c. p. 92.

<sup>94</sup> Op. c. pag. 131.

<sup>95</sup> Inter novem casus, quos etiam in HUFELAND's *Journ. d. prakt. Heilk.* 1819. V. St. p. 120. descriptos legimus, quantor violentissimos et mali moris, unum mediae intensitatis, et reliquos solum quatnor varicellae non absimiles fuisse, comperimus.

quod maxime ex utriusque morbi differentiis, quarum expositionem in diagnosticam differimus partem, ad amussin elucet.

Quibus adeo breviter pro virium modulo explantis, si nos iterum ad *vaccinam, tanquam variolae mitigatae causam*, recipimus, ea prae aliis eruere hic reliquum est, quae illius actionem infirmant, et ideo, quasi ratione remota, huic alteri evolvendae favent. Ad illorum vero censum referentur vulgo: 1) laesio fortuita pustulae vaccinae, scalptu, vel attritu; 2) illius destructio per nimis numerosas puncturas, lympham educendi causa, propagandae vaccinae consilio, inflictas; 3) inanitio, si ita dicere liceat, pustulae propter nimum materiei, illi contentae, dispendium; 4) materies ipsa iusto tardius pro vaccinatione deprompta, nona scilicet, vel duodecima die; vel, licet congruo tempore excepta, sed antequam insita fuerit, propter aeris atque radiorum lucis accessum, aut nociva caloris vel nimii frigoris actione, vitiata; 5) morbi cutis, qualescumque illi sint; chronicci scilicet (*impetigines*), vel acuti (*exanthemata*); contagiosa indole distincti, sive secus; per universum corpus extensi, vel minimam dummodo illius partem tenentes: sed prae aliis tamen illi, qui humorem secernunt, tardius commutandum in crustam, maxime inimicam exercent actionem in vaccinae decursum; ita, ut auctore JENNERO<sup>(96)</sup>, si vel simplex vesicula serum continens in cute alicubi exsurgeret eo tempore, quo pustulae vaccinae in brachiis florent,

---

<sup>96</sup> Vid. supra memoratas litteras, olim ad Willanium missas, et alteras, quas ille ultimus jam vitae temporibus, universo medicorum Orbi adscripsit, quaeque in Hufeland's *Journ. d. prakt. Heilk.* 1822. 1. St. p. 66, ita inscriptae leguntur: Dr. Jenner's *Rundschreiben an die Aertze, in Betreff der Ursachen der unter dem Namen der falschen Pocken (Varioloids) bekannten Ausschläge, die zuweilen auf Schutz- und Menschen Pocken gefolgt sind. u. s. w.*

harum curriculum vaccinationis effectu vix sit, quod dubites; quid quod et tenuissima cuticulae laesio, illius excoriatio nimirum retro aures aliisque in locis, vel apud infantes altiori loco natos frequentissima, idem efficit, opinante CEL. VIRO<sup>(97)</sup>. Quibus omnibus tandem JENNERO adconsentur morbi, suppuratione stipati, vel eadem effecti, quorum vel paronychia sit instar; postremo dentitio CROSSIO<sup>(98)</sup>, atque diathesis scrophulosa, rhachitica et cancrosa HODENPYLO<sup>(99)</sup>. Et haec sunt fere praecipua, quae cum vaccine evolutionem decursumque rectum impedian, variolas quandam mitigatas gignere jure arguuntur. Fateamur tamen oportet, observari quandoque *variolam mitigatam* in iis, qui, testantibus WILLANIO, ADAMSIO, DEVARIO, GITTERMANO aliisque non paucis, de optime insita, evoluta et exacta vaccina, vix dubium movere possunt. WILLANIUS adeoque non a veritate alienum existimat, singulis hominibus *peculiarem constitutionem* inesse, quae haud raro impedit, quo minus variolae suscipienda facultas in iis per vaccinam radicus exstirpetur. Contra ea vero alii, praeter pustularum certum quandam habitum externum, ad illam rem explanandam, *legitimam actionem illius*

<sup>97</sup> Conf. vix laudatum *Rundschreiben. u. s. w.* ubi etiam addit: neque minus exinde emergere damnum, si vel exiguum modo spatium teneat ejusmodi cuticulae laesio; nam ex coriatio retro aurem, granum milli non excedens ambitu, sufficit ad vaccine tutelarem virtutem infringendam.

<sup>98</sup> Op. c. pag. 196.

<sup>99</sup> Op. c. – Sunt vero alii, qui vaccine vim infringi per continuam in humanis tantum corporibus propagationem: alii, qui illius tutelarem virtutem certo annorum numero limitari, suspicantur. Quorum itaque alteri, vaccinam vaccarum insitione subinde restaurandam, alteri vaccinationis opus certo temporis intervallo repetendum esse, praecipiunt. De ultimis vide infra. pag. 26-27. Quam utramque opinionem, experimentis quoque, RATIERUS 1. c. p. 522. refutat.

in oeconomiam humanam bipartiendam esse putarunt in *localem* alteram, alteram *constitutionalem*. Antique huic sententiae JENNERO jam, CHAPMANIO, aliisque probatae, multi adhaeserunt vel nuper. Quemadmodum enim de ipsa variolae inoculatione THOMASSEN A' THUESSINK (<sup>100</sup>), DAWSON (<sup>101</sup>), WHRIGHT (<sup>102</sup>) et SCHERB (<sup>103</sup>), consulto peculiaris factis, extra omnem dubitationis aleam quondam posuerunt, illam, licet interdum e votis succedere videatur, evoluta in insitionis loco pustula variolosa, eaque propria sibi stadia acurratissime percurrente, minime tamen nos expedire ab infectionis novae periculo, nisi universa insimul corporis fabrica fuerit prehensa et aliis quoque locis prorupuerit exanthema; ita, eadem prorsus ratione, vaccina genuino sibi decursu ac habitu tutelarem contra variolas pollicita effectum, nequaquam illum praestat, si universum corpus ob singularem fortassis nonnullorum constitutionem, subigere impar fuerit. Sed in alias etiam partes discedunt alii, qui istiusmodi variolae mitigatae explicaturi aenigma, PEARSONIO quondam propositam thesin excitant, *ac si immunitas a variolis, per vaciinationem lucrata, temporis succesu annihilaretur, reviviscente sensim sine sensu receiptivitate in illas, licet mitiori indole futuras.* Rem vero probare conantur iis, quae sequuntur: 1) quamplurimi ac praestantiores de variola mitigata scriptores convenient fere, illam rarius aggredi vaccinatos paulo post exactum vaccinationis opus, sed longe frequentius aliquot annorum interjecta mora, ita, ut DEWARIUS

<sup>100</sup> Op. c. p. II.

<sup>101</sup> *Med. Transact. by the colleg of Physicians in Lond.* Tom. 3. p. 385.

<sup>102</sup> *Med. Journ. V. III.* p. 63.

<sup>103</sup> JUNKER's *Archiv wider die Pockennoth.* Tom II. pag. 189.

et MOORE, in observatorium sibi parte maxima, inter unum et alterum morbum, intervallum adnotaverint octo annorum, 5-15 ELSAESER, non raro circa 15 THOMSONIUS et tandem 15-21 e recentissimis G. GREGORY (<sup>104</sup>); 2) corundem auctorum observationibus constat, variolam mitigatam co leviorum etiam esse, quo ocios vaccinationi succedat, tanto gravius vero aegros habere, quo tardius contingat; 3) innotuere postremo exempla, in quibus vaccinati naturali, vel insito sibi contagio variolae, primis post vaccinationem annis pluries incassum tentati, longiori demum interjecto tempore, ac eadem opportunitate oblata, variolam, quanquam mitigatam, passi sunt.

Quae quidem omnia, licet quadam probabilitatis specie commendentur, atque nuperrimis temporibus, monente G. GREGORY (<sup>105</sup>), adeo perspecta videantur nonnullis in Anglia, ut, certa serie annorum revoluta, minime vaccinae inoculationem repetere negligent, procul dubio tamen indagine sagaci et protracta opus est, ut opinionem de qua sermo, ab omni vindicent dubio. Namque et plane contraria vix dictis minime desiderantur, et milleni inter vaccinatos ad seram senectutem usque a variolis immunes vivunt.

Sed quomodocunque demum res eveniat, sive accusandus sit: *decursus vaccinae*, propter supra expositas causas, *vitiatus*; sive *actio illius*, ob peculiarem aegrorum constitutionem, *limitata nimis*, vel *penitus localis*; sive *eadem*, quae debita initio fuisse, *infracta temporis succesu*: semper tamen et illa variolam mitigandi facultas,

---

<sup>104</sup> Conf. horum omnium opera, suo loco laudata.

<sup>105</sup> In Diariis altiori loco memoratis.

summo erit beneficio erga genus humanum et non nisi vaccinae virtuli adscribenda.

## § VI.

Monnimus quidem antea, variolam mitigatam facile cum legitima commutari, si solum ad prodromos, eruptionis, vel efflorescentiae stadium advertatur animus: attamen, cum in iis, qui superatae olim vaccinae manifesta vestigia offerunt, a nemine hucusque variola observata sit, quae non mitigatae induisset formam; haud sane temcre, vel ingruentibus adhuc prodromis, dun epidemice iste morbus grassetur, vel exanthemate jamjam erumpente, variola mitigata toties praedicenda foret, quoties id generis malum hominem tentaret, qui olim vaccinatus fuerit, atque superstites inde cicatrices, licet latas passim et irregulares documenti loco sisteret; minus etiam dubitabis, si et eruptionem cerneret parum copiosam, wt volumen pustularum minus consueto. At vero firmius de natura morbi judicium (quemadmodum ex decursus morbi descriptione nemo certe non intellexit), exinde potissimum hauriendum est, quod ingruente alias suppurationis stadio, licet pustularum nonnullae puriforme contineant liquidum, nulla plane accendatur febris, neque nova partes intumescentia occupet; nullus ptyalismus aegrotantes invadat, neque genuinum sibi spargant variolae odorem; sed e contra tertia jam ab eraptione die, vel, quod frequentius, quarta, quinta, vel sexta, ubi vero plurimum, octava, qua nempe alias maxima pericula metuenda essent, omne exanthema in exsiccationem properet, atque in genere brevi terminetur tempore. Nec tamen reticendum est, variolam etiam

legitimam, tam exiguo interdum symptomatum apparatu stipari, ut illa decurrente, vix quidquam aegrorum sanitas laedatur, et aliquot pustularum eruptione omnis circumscribatur morbus. Interea vel ad hanc levissimam variolae speciem a nostra illa dignoscendam, stadii suppurationis atque intumescentiae pertium consideratio, symbolam quandoque adferre poterit; siquidem, animadvertente Halle (<sup>106</sup>), utrumque hoc phenomenon, in veris variolis tam constanter obtinet, ut quinta die febriculam, labiaque ac palpebras tumefactas, tunc quoque deprehendisse semet testetur, ubi tres tantum ad faciem prodierint pustulae.

Sed majori sane studio, majori cautione opus est, ut a *varicella* distingaumus hunc morbum; atque illum praeprimism qui per praevium vaccinationis opus ad minorem evolutionis gradum contractus, reapse prima fronte adinstar varicellae conoidis, vel lenticularis Willani, conicis tantum, vel minimis subsphaericis vesiculis constitui videtur; illum eundem puto, qui et Thomsonium, eoque praeeunte, alios plures (<sup>107</sup>) ita decepit, ut utrumque morbum haud distinguendum prorsus esse decreverint. Quorum itaque diversa natura, ut e formae illorum, ac decursus diversitate clarius elucescat, sequenti tabula operam navabimus:

<sup>106</sup> *Reflexions sur la fièvre secondaire et sur l'enflū re dans la petite vérole; p. HALLE. in Memoires de la sociétē royale de médecine T. VII. 1784 – 1785. pag. 483.*

<sup>107</sup> Qui in op. c. THOMSONI commemorantur, et quibus etiam ex parte KAUSCHIUS l. c. – LICHTENSTAEDT in HUFEL. *Journ. der prakt. Heilk.* 1820. VI. St. p.35 – et omnes fere Galici adnumerandi sunt scriptores.

*Varicella.*

- a) Epidemice, sine intercurrentibus variolis, aliquando grassatur <sup>(108)</sup>, aut, testantibus eximiis praeticis, illas nonnunquam praecedit.
- b) Omnes sine descrimine invadit, vel vaccinatos nempe, vel qui pridem variola vera defuncti sunt, aut quibus unum et alterum necdum evenerat.
- c) In troplici hac diversa hominum conditione, nunquam non teutur genuinam sibi indolem, omni periculo vacuam; et tantum abest,

*Variola mitigata.*

- a) Nunquam sine variola vera, seu epidemice regnante, seu sporadic gliscente, offenditur, nec quandoque illam praecedere est visa.
- b) In genere vaccinatis solum propria, iisque in specie tantum contingit, quibus in decursu aut actione sua perturbata erat vaccina; ita, ut ratio eorum, qui variola mitigata post vaccinationem adficiuntur, nunc ait sicuti 1:100, nunc 1:50 <sup>(109)</sup>. Nunquam autem adoritur eos, quibus vel successit e votis insitio vaccinae, vel qui jam periclitabantur variola vera.
- c) Sive fortuito illius contagium eos attingat, qui neque variolam, nec vaccinam passi sunt, vel iisdem inseratur consulto:

<sup>108</sup> Vid. HEIM l.c. – STIEGLITZ in *Allg. Liter. Zeitung*. 1819. Februar. p. 218 et OELZE l. c.

<sup>109</sup> Cross. l. c. p. 192.

ut per inoculationem *variolam legitimam* unquam generet, ut potius, si comparentibus jam jam varicellae prodromis, subjecto, necdum variolam perpresso, hujesce ultimae insereres virus, utrumque morbum, su oguemvis decursu, neutiquam turbato, eedemque tempore pergere mireris (111).

d) Secunda erumpit die, et raro confluere, rarius etiam copiosa esse consuevit.

e) Ut plurimum, nisi protinus in toto prodiverit corpore (113),

semper (110) *variolam legitimam*, illamque interdum *gravissimam*, excitat, neque in eodem homine, eodemque tempore, utraque simul exsistere unquam posset.

d) Circa quartam efflorescit diem, ac, vel prima etiam fronte, non infreuentur confluere papulas Moore, Hodenpyle aliique (112) habent.

e) Saepissime in facie primum, collo ac manibus nascitur, et

<sup>110</sup> Qua de re praeter WILLANII l. c. p. 5. 52. 55. 70 – ADAMSII l. c. p. 35 – PAUGENSII l. c. p. 50 – MONROI l. c. p. 215-232 – et SIR JAMES BLANE in *Med. Chir. Trans.* V. 10. P. 2. p. 330 – *Med Repository* V. 13 pag. 228; HENNENI potissimum experimenta sunt testimonio, quippe qui observaverat *variolam legitimam* 12 hominibus productam fuisse, dum inoculasset illis materiem ex pustulis *variolae mitigatae* desumptam, qua laboraverat ejus filius, quaeque tunc nullis impressionibus adhuc erat distincta (Vid. *Edinb. med. and surg. Journ.* V. XIV. p. 418.). ELSAESSER polus contraria contendit, cum videlicet *variolae mitigatae* materiem, vel in iis, quibus et *vera variola vaccina* aliena fuere, nullum produxisse effectum, in opere suo moneat.

<sup>111</sup> BATEMAN l. c. pag. 321.

<sup>112</sup> In *The Edinb. med. and surg. Journ.* N. 55-56.

<sup>113</sup> HEIM l. c. pag. 210.

inprimis in pectore dorsoque, ac dein ad faciem, partem capillatam capitis aliaque loca (114) emergit.

f) Eruptio insigni pruritu stipatur, qui infantes ad scalpendum invitat (115).

g) Papulae, quae vesicularum ortum praecedunt, potius oblongam (116), quam circularem exhibent figuram; superficie fere complanata splendidaque sunt, ei pressius rubro colore.

h) Quo tempore nonnullae pustularum jamjam suppurant, aut obteguntur crustis, in aliis quibusdam corporis partibus novae adhuc, vel post tertiam ab eruptione diem, in conspectum veniunt; atque eo ipso forte febrilla symptomata, quae sub efflorescentiae stadio aliquamdiu

deinceps pedetentim in brachiis, pectore, femoribus, cruribusque.

f) Potius ardoris sensu comitatur, nec ideo unquam visi sunt infantes, dum efflorescentia peragitur, pustulas tractasse scalptu.

g) Papulae omnino circulares, atque plurimum prominentes ad tactum, magis etiam protuberantem offerunt in medio nodulum, coloreque sunt laete rubro (117).

h) Triduo elapso, nova eruptio neutiquam cernitur, et febris secundo extinguitur nychtemero.

<sup>114</sup> WILLAN l. c.

<sup>115</sup> HEIM. l. c. pag. 210. WILLAN l. c. aliquie.

<sup>116</sup> BATEMAN in op. c. p. 314.

<sup>117</sup> HEIM l. c. 210.

observata sunt Monroo (<sup>118</sup>), iusto diutius aluntur.

i) Sive etiam pustula sumnum evolutionis attigerit gradum, et quoadusque liceat, turgeret contento humore, semper tamen parum senties elevatam, mollem ad tactum, nullaque elasticitate praeditam; vel, ut WILLANII comparatione utar, quasi complanatum per compressionem granum cereale sub epidermide latitans.

k) Halo, qui pustulas cingit, irregularis est, et fere in angulos excurrit (<sup>119</sup>).

l) Cuticula, qua pustula efficitur, tenera est, facillime laceranda, et circa tertiam ab eruptione diem rugas exiguae cogitur (<sup>120</sup>).

m) Humor in pustulis contentus nunquam tenax et crassus, sed tenuis potius, limpidus, flavesiens, vel (si esset

i) Quaevis pustula, neve adeo jam evoluta, ut sit impressio ejus apici, conspicua tamen altitudine exsuperat cutim, dura est, elastica, firmiterque tactui resistit; ita vero contrectantibus digitorum apicibus sese exhibit, ac si granum parvum, rotundum subter epidermidem haereret.

k) Halo, si unquam observatus fuerit, circulari est forma.

l) Rugis cuticulam pustularum carere, suaque firmitate atque crassitie vel illam variolae verae excellere, a D. OELZE exploratum habemus.

m) Liquidum in pustulis obvium, variat compage sua, pro varia, qua e pustulae excipitur parte: tenuis est scilicet in apice atque

---

<sup>118</sup> Op. c. p. 140.

turbidus) lactei coloris, totaque in pustula uniformis, unico tantum amplectitur cavo.

n) Cutis, quae pustulis basin ministrat, superficiem aequalem et omnino planam exhibit.

o) Crustae tenues sunt, complanatae, ut plurimum rotundae et quasi heterogenea materie contextae.

p) Post crustarum secessum merae maculae rubicundae remanent, per aliquot temporis spatium.

diaphanum; crassum vero et tenax, quod illarum basi continetur; intus vero numerosissimis (<sup>121</sup>) includitur cellulis.

n) Cutis, quae basin pustularum sistit, in altum manifesto exsurgit, et educto liquido, vel ablata tota pustula, tactui visuque eminentiam insignem offert.

o) Crustae solidae sunt, crassae, quasi e cornea substantia compactae, forma saepissime ovali (<sup>122</sup>).

p) Crustas excipiunt illae vix descriptae cutis protuberantiae, vel, si mavis, tubercula obtuso-conica, tantillum inflammata ac dura, et non nisi hisce evanidis, subrubrae maculae succedunt, parva in medio foveola notatae (<sup>123</sup>).

<sup>119</sup> Secundum observationes D. OELZE.

<sup>120</sup> BATEMAN. Op. pag. c. 319.

<sup>121</sup> Pustulas verae variolae, non simplici vesicula, ut illae vericellae, sed cellulis numerosis intus contineri, primus demonstravit MACARTNEY *Dublini*; in mitigata autem variola CROSSIUS idem comprobatum invenit.

<sup>122</sup> OELZE l. c.

<sup>123</sup> RAIMANN in op. c. 115.

q) Si unquam cicatrices relinquant, glaber est earum fundus, a circumjecta cuti candidie sua distinctus nullaque alienigena puncta, vel impressiones gerens.

r) Limbus cicatricis laevis est, subrotundus, atque versus fundum vix percipienda depressione declivis, quo fit, ut media pars cicatricis conexa videatur.

s) Procedente tempore cicatrices disparere solent, superstite tamen, earum loco, perpetua albedine cutis.

q) Superstites interdum in fronte, genis ac brachiis cicatrices, concolores sunt cuti, et tanquam in argumentum cellularis pustularum fabricae, fundo inaequali cernuntur, foraminulis videlicet cribrato, non sine uno alterove nigricante in medio punctulo.

r) Limbus cicatricis nec rotundus, nec omnino aequalis, sed denticulatus, atque plus minusve, quemadmodum ipse fundus, concavus est concolorque cuti.

s) Sensim sensimque cicatrices evanescunt; nonnunquam sine ullo sui vestigio.

Quae vero vix de variolos mitigatis a varicella distinguendis disseruimus, ea quoque illis a *miliaribus* discernendis apprime adaptari possent, si de eruptionis ipsiusmet haitu, internaque

ageretur fabrica. Sed si praeterea in mentem revoces, miliaria in diversis morbis, praecipue acutis, meri symptomatis partes agere, pluribusque sibi tantum propriis phenomenis nuntiari sociarique, fortassis penitorem hujus rei indaginem superfluam existimabis.

Neque majoribus vel tunc difficultatibus diagnosis premitur, si, quo primum ad papularum formam adoleverit morbus noster, subsistit; et ideo *morbillorum*, aut *scarlatinae* specie imponit: namque tunc exanthematum epidemice regantium atque contagii suscepti ratio, et observatio tandem illorum omnium, quae eruptionem praecendunt, aut eomitantur, in determinanda morbi natura veri judicii auctores habenda atque norma.

## § VII.

Quodsi jam iis, quae vix proposuimus, id efficies, ut obviam tibi qualicunque sub forma *variolam mitigatam* cognoscas, persuasus quoque sis oportet, quaecunque de *variola legitima* exitu, multoties lethali, deque artis nostrae, hoc in morbo depellendo imbecillitate saepius dolenda, perpetuo jactantur quaerelae, eas ab hac illius specie prorsus alienas esse. Siquidem inter millena, a variis plus vice simplici laudatis nobis auctoribus adnotata exempla, nec unicum fere exstat, quod fatali unquam fuerit eventu, quodve demum evinceret, *variolam mitigatam*, vel eam etiam quae interdum gravem initio ac periculosam faciem induere visa est, quibuscunque malis secundariis excipi quandoque posse. – “Keiner der Beobachter der modifirten Pocken gedenkt einer Matastase, oder einer Nachkrankheit, noch weniger eines tödtlichen Ausganges” Raimannus ait (<sup>124</sup>). Quae cum

ita sint, efficitur sponte, non ominosum, quale in vera variola, hoc etiam in morbo praesangium decernendum esse, sed tali potius componendum pacto, ut prosperum vix non semper innueret eventum.

### § VIII.

Et re quidem vera, haec est variolae species, in qua totius etiam curationis cardo in eo tantummodo vertitur, ut rite compositis iis, quae regiminis rationem spectant, omne opus reliquum committatur naturae. Verumtamen meminisee forsan juvabit, in genere (monentibus vel praestantissimis in arte medica Viris) variolae magis quam exanthematibus aliis, praesertim sub invasionis stadio, frigidiusculam inter 12 et 14 gradum thermometri Reaumuriani expedire auram; est enim illi fere proprium, ut J.P. Frankii verbus utar (<sup>125</sup>), “ut vernalis quasi flosculi exemplo, qui sub nive verescit atque collabitur sub majori incendio solis, exanthema illud in frigidiori aura laetius florescat”. Donec igitur variolae prorumpant, puer est a lecto arcendus, ludisque aetati proporiis, sub sereno coelo, si tempestas anii feveat, vel in amplo sanoque recreandus cubili. A carnium, rerumque, quae calefaciunt, vel sunt difficiles digestu, abstineat usu, et potius tenui ac vegetabili victu utatur. Quo primum vero ad cutem exanthema conspicuum sit, ut in variola legitima benigna, a gelidiori saltem aere muniendus erit aegrotans, ac praesertim vespertinis horis maturis committendus lectulo; non tamen illum

<sup>124</sup> Op. c. p. 115.

<sup>125</sup> Op. c. p. 195.

praeter modum obruere stragulis convenit, sed potius sitientem, uberiori, acidulo gratoque reficere potu, ac iterum matutino tempore sibimet committere, donec usque exsiccationis stadium exactum sit. Verum tamen, si quando morbus iste initio, utisuo loco monuimus, gravior aspectu, instantis periculi incuteret timorem, propter deliria passim intercurrentia, soporem, vel convulsiones apud infantes, non abs re fore existimo, in aegrotantibus junioribus, corpore robusto atque plethorico exstructis, si facies valde rubra esset turgidaque, oculi rubicundi, splendentes, et cephalalgia urgeret, pro virium ac aetatis ratione, sanguinis aequabilem educere copiam, tum secta in brachio vena, tum hirudinibus basi cranii injectis. Vel si minus esset laesa encephali functio, sique ea, quae paterentur ex capite aegri, sympathica potius ratione excitata fuerint, viscerimus imi ventris ultra modum adfectis, hirudines in epigastrica regione applicare prodesset: ut taceam medicamina ore haurienda, quae etiam antiphlogistica, subacida et ex vegetabilium classe utplurimum, ut deprompta sint, minimeque e salinis remixta, nemo est, qui non intelligit. Nec aliter agendum foret, si quaecunque partes aliae phlogosi incenderentur; et eandem sane elegimus methodum, quum nobismet ipsis variolas mitigatas, cum faucium inflammatione fortiori, in Clinico curare contigerit. Sin typhoidea demum symptomata obtinuerint, illis quoque adaptare medivcinam CROSSI consilium est. Caveas autem, ne exuberante in invasionis stadio gastricorum symptomatum cohorte, in evacuantibus fortioribus, sursum deorsumve, praepostere auxilium quaeras! siquidem nunc perspectum habemus, illa constanter quaeque praecedere exanthema, et potius membranarum gastrointestinalium primariam irriationem,

non autem latitantes indicare sabburas. Quocirca, si tarditas in alvinis excretionibus displiceret, neque sufficeret, quotidie clystere aluisse alvum, tamarindi solum, aut indigena pulpa prunorum, forte sero lactis nupta, vel quae his analoga sunt, securō tibi usa habenda.

## T H E S E S.

## I.

Sanguinem incisa vena mitti, novum non est: sed nullum pene morbum esse, in quo non mittatur, novum est. CELSUS. L. 11. c. 10. p. 77.

## II.

Varicella a variola mitigata prorsus distinguenda.

## III.

In morbis imi ventris, nisi de restituendo hamorrhoidum, aut menstruorum flexu agatur, venaesectio e brachio praferenda illi e pede.

## IV.

Encephalois, scirrhus et cancer, unus est idemque morbus.

## V.

In incarceratione herniae femoralis solvenda, methodus quae Gimbernatio dicitur, omnibus aliis anteponi meretur.

## VI.

Indicationes pro perforatione crani certae quidem in theoria, in praxi admodum ancipites sunt.

## VII.

Capite in introitu pelvis haerente, applicatio forcipis, et pene impossibilis, et plurimum nociva.

## VIII.

Quae remedia RASORIO *contrastimuli* dicuntur, nisi noceant, revulsiva utplurimum vi prodesse contendo.

## IX.

In medulla spinali, aliae partes as sensum, aliae ad motum voluntarium excitandum, aliaeque ad motus respiratorius gubernandos, aptae et idoneae sunt.

## X.

Nitrogenium in respiratione absorberi, et exhalari simul videtur.